



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

**Linda Mariana, Sive De B. Virgine Lindensi**

**Clagius, Thomas**

**Coloniae Vbiorvm, 1659**

XII. Posteriores iduum Junii dies.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-11544**

## CAPUT XII.

Posteriores Iduum Junii dies.

Præcipua hisce diebus sacra erant *Matralia*, in honorem Matris Maturæ instituta; à quibus servæ utcebantur, unâ earum duntaxat admittâ, quæ tamen matronarum reliquarum colaphis obnoxia strenuè vapulabat. Ingenuas, & à peccati servitute sordibusque immunes Linda Mariana requirit mentes, quod alio loco (a) vidimus. Neque minùs vapulant, si quæ servili conditione adhuc pressæ eò se conterunt. Quid nisi serviles oderit Deipara animos, quæ etiam corpora morbis, qui peccatorum, vetustæque Diaboli servitutis vincula sunt, ita amat relaxâsse?

## I.

## Laterum dolores discussi.

Ad IV. Idus Junias Anna Thomæ Baumgart civis Traumburgensis filia, plurimum quâ suorum civium, quâ etiam Brunsbergensium agmen comitata, ut gratias Deiparæ ageret, Lindam venit. Superiore ætate sævissimis laterum cruciatibus extremè afflicta, variaque aliunde remedia in cassum experta, optimum omnium apud Deiparam Lindensem quaesivit, & actutum invenit. Quâ causâ, quam prolixum est Traumburgo iter, pedes universum decurrit.

Y y s

II. Co.

(a) lib. I. cap.



## II.

## Comitialis morbus &amp; angina curata.

Gustadio adfuit eâdem die Gertrudis Christophori Knob inquilini uxor, quæ ante viginti quinque annos morbo comitiali, per quadriennium exagitata, voto tum ad alia quædam sacra loca, tum potissimum Lindam facto, ita est perfanata, ut nullum mali vestigium ad hoc usque tempus sentiat. Cùm verò superiore anno sive ulcere, sive potius anginâ fauces obsidente, per hebdomadas duas, neque cibi neque potionis admittere quidquam, atque ad eò ne vivere quidem amplius videretur posse; non alio, quàm unde priori malo experta fuerat remedium, sibi iterato censuit recurrendum: neque minus promptum, quàm ante, invenit præsidium.

## III.

## Hydrops &amp; infania discussa.

Heilsbergâ eodem die Simon Merzker officio pellio occurrit, ut votum, quod ejus nomine amici nuncupânt, ipsemet voti felicissimè reus, dependeret. Ante biennium sævus capitis dolor hominem usque ad delirium adduxerat; cùm tantis malis aliud minus accessit, omnium videlicet membrorum cruciatus, in tumorem usque hydropicum diffusus. Quinque supra viginti hebdomadas, succumbendo morbis, lecto affixus hæsit. Tantam & tam diurnam hominis calamitatem miserati amici, votum ejus nomine Lindam nuncupant; ille verò, auxiliarem subito expertus Deiparæ manum, quò sibi magis erat  
scd.



redditus, eò alacrius, quod suo nomine amici spon-  
ponderant, hâc die exolvit.

## I V.

Brunsbergensium plures varia experti  
beneficia.

Eâdem quoque die Brunsbergâ in aliorum comi-  
tatu venit, Catharina Seeburgi quidem patre Ada-  
mo Pick nata, sed Brunsbergæ obsequiis heræ addi-  
cta. Per annos duos per quàm diro cruciatu laborâ-  
rat dentium, nullum uspiam experta tanti mali reme-  
dium, nisi apud Deiparam Lindensem, cui se voto  
peregrinationis, quam hodie absolvit, secundissimo  
eventu obligârat. At verò Catharina Georgii Spis  
uxor, duodecim ante annos in partu constituta, ne-  
que ulla vel obstetricum vel aliarum mulierum ope,  
per continuos octo dies ope adjuta, simul ac vir,  
ipsius, suoque nomine votum Lindam edidit, repen-  
tè adjuta, & tum factu, tum præsentè mortis periculo  
soluta est. Quâ causâ tum ipsa, tum maritus, tum filia  
(quam illo tempore enixa fuerat) Anna, gratias Dei-  
paræ acturi, pedibus Lindam, atque inde domum  
iter emensî sunt. Brunsbergâ quoque advenit, quan-  
quam Meellacci natus, Simon Kuhn opificio Sutor,  
qui cùm ibidem arti suæ operam navaret, exactis an-  
te biennium sacri Paschatis feriis, repentino juxta ac  
diro capitis dolore, sensibus ac mente dimotus, ad  
extremos usque Julii dies in eadem amentia, agros,  
villas, & oppida pervagatus miserimè est. Varia alio-  
rum magis, quàm suo consilio remedia expertus,  
sed nonnisi implorata Deiparæ Lindensis ope  
adju.



adjutus est. Exinde enim mens & sensus homini rediit, non tamen continuo omnes corporis vires: ob quas cum viam è vestigio inire tum non posset, & consequente deinceps tempore variè impeditus esset, nunc tandem promissam ante peregrinationem sanus & incolumis, quin & pedes Brunsbergâ absolvit.

## V.

## Febris tertiana &amp; lethargus discussus.

Brunsbërgâ itidem, sed non nisi postridie, ad III. videlicet Iduum adfuit Catharina, Andreae Tolcksdorff defuncti pellionis uxor; quæ ante biennium tertianâ, à S. Michaëlis festo, usque ad Pentecosten afflicta, voto Lindam facto restituta sanitati erat. Cum autem hoc iterum anno, in pertinacem desinente lethargum correpta fuisset morbo, spemque vitæ omnium opinione amisisset (octo enim minimum dies veterno sepulta, cibi potionisque experta jacuit, virque illius, qui unâ decumbebat, eodem morbo decessit) simul atque non nihil ad se rediit, iterum Lindam ad suam hospitaricem recurrit, iterumque omni excusso morbo, supra alia taciti animi vota, ceraque efficta anathemata, argenteam tabellam, in qua beatæ Virginis effigies cernitur, memoris gratique animi ergo hodie dedicavit.

## VI.

## Crus fractum restitutum.

Brunsbërgâ itidem, atque eadem quoque die venit Dorothea Valentini Oberlender Sartoris & civis uxor:



uxor: quæ prius, quàm nupsisset, ante sedecim circiter annos, è superiore horrei contignatione insperatò prolapsa, crus sinistrum eo casu fregerat. Fractis unà viribus, animus ad B. V. Lindensem infractus, peregrinationem, si crus revaluisset, vovit. Paulò post convaluit: sed succedentibus interim matrimonii oneribus, differre peregrinationem ad hanc usque diem necesse habuit.

## VII.

Alii quoque Brunsbergenses beneficiis affecti.

Pridie Idus Junias Gregorius Kühn Brunsbergensis inquilinus morbo sibi quidem ignoto, admodum tamen pertinace ac periculoso, ante quatuor annos propemodum depositus (jam enim quatuor minimùm hebdomadas spem inter metumque vitæ pendebat) tandem voto tum factò perfunctus postliminio est. Jam enim recuperatâ sanitate peregrinationem suam expedierat, sed non ignarus beneficii & gratitudinis debitæ, aliam hoc anno profectioem instituit. Quo quidem etjam tempore Osanna Gregorii ejusdem conjux, virum pedes, uti promiserat, comitata est. Sesquiannum circiter, feбри continuâ, dies ac noctes extremè afflicta, quin & extra lensum mentemque tandem posita, cum ad se, utcunque redisset, sensit non aliunde sibi quàm à B. V. Lindensi expectandam salutem. Et tanè ubi factò peregrinationis voto ad eam confugit, paratam, uti sperârat, invenit.

## VIII. Duo



## VIII.

Duo à præfente mortis periculo erepti.

Eâdem die, Anna Dominici Wedig è Seiberts-wald Seeburgensis coloniæ pago filia, & Benedictus Wittich ex Meelfaccensi pago Engelswald, tuâ defuncti sunt peregrinatione. Atque hic quidem pro Martino filiolo suo cereum anathema posuit, eò quod ille ante hebdomadas duas morbo repente correptus, biduum mortuo propior fuerit; revixerat autem & incolumis et jamnum vivit, postquam à parentibus singulari voto Deiparæ Lindensi commendatus est. Jam verò illa proximo vere febri aliisque unâ ingruentibus morbis, ad summum vitæ periculum adducta, subito restituta sibi est, ubi peregrinationem Lindensem, si restitueretur, voto firmavit.

## IX.

Vormditensium complures singularia experti beneficia.

Christophorus Peter civis Vormditensis, unâ cum conjugè Elisabetha cæterisque liberis, Martinum filium, annorum octodecim juvenem, voti reum Deiparæ stiterunt. Erat ille paralyti torum latus dextrum perstrictus, ut neque linguam, neque manus aut pedes commovere per hebdomadas complures posset. Ex eo verò tempore, quo illum parens Divæ Lindensi commendavit, morbus ita sensim remiit, ut Martinus Resselium quidem usque curru vectus, Resselio verò pedes Lindense iter, jam tum confe-

cerit.



erit. Quâ causâ iterum hoc anno unâ cum aliis libe-  
ris suis gratias Deo ac Deiparæ acuri, in accepti be-  
neficii memoriam, Tabellam argenteam effigie B.  
Virginis insignem obtulerunt.

Jam verò alter Martinus Peter iridem Vormdi-  
tensis, periculoso juxta ac verecundo in morbo chi-  
rurgi operam expertus, plus spei curationis que in  
Deiparæ ope collocavit, & sanitati restitutus promi-  
sit, quoad viveret, quovis anno pedes, aut, si id non  
posset, Lindensem peregrinationem curru frequen-  
tare. Id ipsum promisit, & à triennio jam frequentat  
Petrus Mollerus iridem Vormditensis; qui præter  
illos membrorum omnium cruciatus, diro capitis  
dolore plures hebdomadas vexatus, & aliorum voto  
Lindam pro se nuncupato curatus fuerat. Perpe-  
tuam iridem peregrinationem vovit Fabianus Mol-  
ler iridem inquilinus, qui ante annum letali pro-  
stratus morbo prostratus, vix respirare, aut quidquam  
 cibi sumere per hebdomadas tres potuit, & voto per  
 Annam uxorem Lindam facto, repente sibi restitutus  
 est. Denique & Petrus Hein iridem civis, variis in-  
 firmitatibus ac peregrinationibus, variis sæpe tentatus  
 morbis, potissimum verò feбри & ingenti capitis do-  
 lore, sæpius per concepta ad B. V. Lindensem vota  
 confugit, & semper tutum invenit receptum. Unde  
 commodiorem hoc anno peregrinandi occasionem  
 habuit, cum aliis fere undeviginti viæ comitibus pe-  
 des totum iter emensus est, ut tanto intimius Deo  
 & Deiparæ ardentius que gratias ageret.

CAPUT